

# EPISTULA LEONINA

## CCVII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM SEPTIMAM (207) !**

## ARGUMENTA

ARS GRATIA ARTIS ( <i>Metro Goldwyn Mayer</i> ).....	03
IN DIEM NATALEM CC THEODORI FONTANE ( <i>Demming</i> ).....	04
DE STAGNEO MILITE CONSTANTISSIMO ( <i>Andersen/Leo Latinus</i> ).....	05-15
DE PUELLA RAMENTIS SULPURATIS INSTRUCTA ( <i>Andersen/Leo Latinus</i> )..	16-20
PRAECEPTA COQUENDI: CYPRINUS SILVESTRIANUS.....	21-25
SQUAMAE CYPRINI UTINAM FORTUNENT ANNUM MMXX!.....	26
<b>VOTA IN ANNUM MMXX LECTORIBUS OBLATA.....</b>	<b>27</b>

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### *Cara Lectrix, Care Lector,*

*Die Sancti Silvestri, id est die ante annum MMXX ineuntem tibi Epistulam Leoninam offero ducentesimam septimam (207). Utinam tibi sit occasiuncula has natalicias pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!*

Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Sancti Silvestri, 31. m.Dec., a.2019**



## ARS GRATIA ARTIS

sive potius **ARS ARTIS GRATIA**

***L'art pour l'art***

Haec verba Latina inscripta sunt titulo mercatorio societatis cinematographicae “*Metro-Goldwyn-Mayer*”, quae a.1924 condita est. Sententiola autem per ellipsin ferê valet id quod “*Ars (fiat) artis gratiâ*”, i.e. “artifex artem suam faciat semper solâ inspiratione suâ artificiosâ inductus, ne umquam dirigatur vi politicâ aut religiosâ aut ideologicâ. Dolendum est, quod versio sententiolae Francogallicae Latina est salebrosa, quia ordo verborum parum quadrat.<sup>1</sup>

In symbolâ quadam Wikipedianâ explicatur, quomodo exorta sit sententiola, quae est “*L'art pour l'art*”<sup>2</sup>. Testimonium omnium vetustissimum videtur esse tractatus a.1812 Lutetiae editus cuiusdam historici artis figurativae, cui nomen est *Toussaint-Bernard Émeric-David*.

<sup>1</sup>cfr <https://www.latin-is-simple.com/en/vocabulary/phrase/175/> „Comment. Translated into Latin from Baudelaire's "L'art pour l'art". Motto of Metro-Goldwyn-Mayer. **While symmetrical for the logo of MGM, the better word order in Latin is "Ars artis gratia"**.

<sup>2</sup> [https://de.wikipedia.org/wiki/L%E2%80%99art\\_pour\\_l%E2%80%99art](https://de.wikipedia.org/wiki/L%E2%80%99art_pour_l%E2%80%99art): “...Die Redewendung war Programm einer französischen [Kunsttheorie](#) des 19. Jahrhunderts, die besonders von den sogenannten [Parnassiens](#) und ihrem Vorläufer [Théophile Gautier](#) vertreten wurde. **Der älteste bekannte Beleg findet sich bereits im Traktat *Choix de pièces: notices sur divers tableaux du Musée Napoléon* des Kunsthistorikers [Toussaint-Bernard Émeric-David](#), das 1812 in Paris erschien.** Mit dieser Redewendung wird vor allem die Priorität der künstlerischen Form und der ästhetischen Gestaltung hervorgehoben. In Frankreich wurde diese Kunstauffassung in der [Literatur](#) vornehmlich von [Gustave Flaubert](#) und [Charles Baudelaire](#), in England von [Oscar Wilde](#) und in Deutschland bis zur [Jahrhundertwende](#) von [Stefan George](#) vertreten...”

**IN DIEM NATALEM DUCENTESIMUM  
THEODORI FONTANE (1819-1898)**



**Zum 30. Dezember 2019**

**DVCENTIS ANNIS ANTE THEODOR FONTANE  
SCRIPTOR EXCELLENS SATISQVE  
POPVLARIS NOVORVPPINI IN VETVSTA VRBE  
BRANDENBVRGENSI NATVS**

**HDF**

**HOC CHRONOGRAMMA FECIT HANNES DEMMING MONASTERIENSIS**


## FABELLAE ANDERSENIANAEE (II)

### De stagneo milite constantissimo




*Danicê scripsit Hans Christian Andersen,  
versionem theodiscam in Latinum convertit Leo Latinus*

Aliquando fuerunt viginti quinque milites stagnei, quorum omnium unus alterius fuit frater, nam omnes confecti erant ex eodem vetere cochleari stagneo. Quorum quisque sclopetum brachio tenebat facie in directum protensâ. Iidem milites omnes veste uniformi rubro-caeruleâ induti aspectu erant pulcherrimo.





Primum quod iidem in mundo audiverunt, fuit nomen *militum stagneorum*. Hoc vocavit puerulus tollens operculum impositum scatulae, in quâ milites iacuerunt. Puer autem illos acceperat, quia dies fuit eius natalis, et illos nunc omnes in mensâ statuit. Milites omnes eodem erant aspectu, unus tantum aliquantulo fuit alius. Hic enim miles stagneus uno tantum fuit pede, nam ultimo erat fusus tempore, quo non iam satis multum restiterat stagni fusilis. Tamen is miles eâdem cum constantiâ stetit uno pede quam ceteri binis. Et ipse unipes nunc vênit in conspectum.



In mensâ, cui impositi erant omnes, etiam alia crepundia erant constituta. At ea res, quae maximê apparuit, fuit nitidum castellum e chartâ confectum. Per fenestras parvas perspicere poterat in ipsos oecos. Foris ante castellum stabant arbusculae circa speculum sitae, quod sic erat fabricatum, ut aspectum haberet parvi lacûs. In eo natabant olores cerâ confecti, quorum imago reddita est. Haec omnia erant perquam nitida, sed aspectu omnium nitidissimo erat puellula, quae stabat mediâ in portâ castelli apertâ. Quae puellula e chartâ erat exsecta, veste pulchrâ induta, quae ornata erat angustâ atque caeruleâ fasciâ ventrali. Mediâ in hac fasciâ inerat stella fulgens, quae tanta erat, quanta puellulae facies.



Puellula autem ambo brachia porrexit, nam erat ballatrix. Necnon pedem alterum altius sustulit, quam ut miles stagneus eundem videret. Tum îdem cogitavit: »En illam! Illa puella apta esset, quae fieret uxor mea: sed illa est nimis generosa. Quae habitat in castello, cum ego habitem tantummodo in scatulâ. Insunt quidem eidem scatulae viginti quinque milites, sed haec sedes non apta est illi puellulae. Tamen illam visitabo, ut cognoscam!«



Deinde miles stagneus se posuit post pyxidem sternutamenti, quae stabat in mensâ. Ex illo loco miles bene potuit aspectare dominulam ingenuam, quae perrexit altero tantum pede stare.

Cum advesperasceret, ceteri milites stagnei repositi sunt in scatulam suam, et homines domestici cubitum ierunt. Nunc crepundia sunt animata. Lusum est »Fit visitatio« aut »Bellum geritur« aut »Invitatur ad ballationem«. Tum milites stagnei in scatulâ suâ impatienter crepitaverunt, nam voluerunt ballationi interesse, sed operculum scatulae non potuerunt tollere. Nucifrangibulum exhilaratum cernuabat, et stilus laetê titubabat per tabellam schisteam. Tantus fuit strepitus, ut ipsa avis canaria excitata inciperet loqui versibus.





Unici qui nullo modo e loco se moverunt, fuerunt miles stagneus atque ballatrix. Quae stabat recta in summo digito pedis nec desinebat ambo bracchia porrigere. Nec minus constans erat miles stagneus altero pede stans, nec umquam oculos a ballatrice avertit.

Nunc sono indicata est hora duodecima, et tux tax, operculum pyxidis sternutamenti raptim est apertum. At pyxidi non inluit tabacum, sed nihil nisi parvus cobalus nigerrimus. Qui cobalus vocavit: »Miles stagneus! Fac oculos tuos cohibeas!« At miles stagneus simulavit se hoc non audivisse. Tum cobalus minaciter vocavit: »Vae tibi, exspecta crastinum!«.

Postridie autem mâne cum parvuli surgerent, miles stagneus fenestrae est appositum. Id quod secutum est utrum effectum est a cobalo an a vento perflante? – Subito fenestra raptim clausa est, ut miles per tres tabulata deiceretur. Sic îdem fecit iter verê infernale. Miles pede in altum erecto sclopeto deposito inter lapides viae stratae fixus remansit.

Famula et puerulus statim per scalas descenderunt, ut eum quaerent. Quamvis essent militi tam propinqui, ut non multum abesset, quin eum calcarent, tamen eum non conspexerunt. Utinam miles stagneus vocavisset: »Hîc sum!« At eidem visum est clamorem non decere militem veste militari indutum.

Nunc etiam imber coepit cadere. Guttae etiam etiamque densiores cadebant, et denique pluit urceatim. Imbre finito praeterierunt duo pueri viarii. Tum alter eorum: »En aspice! Ibi iacet miles stagneus! Quem mittamus navigatum!«



Tum ex ephemeride fabricaverunt naviculam, cui mediae militem imposuerunt. Nunc îdem per canaliculum navigavit. Ambo pueri post eum currentes gaudio elati plauserunt. O quantae undae exoriebantur in canaliculo, et quanta procella imbre effecta est! Navicula chartacea sursum et deorsum vacillabat. Interdum eadem tam celeriter vertebatur, ut miles stagneus tremere. At îdem mansit constans, faciem nullo modo contorsit, prospexit in directum, sclopetum brachio detinuit.

Subito navicula âcta est sub pontem canaliculi longum. Ibi autem tantae exortae sunt tenebrae, ut miles stagneus sibi videretur scatulae impositus. »Quonam« inquit, »nunc veniam? Vah nemo est in culpâ nisi iste cobalus!«



At subito advênit magnus rattus aquaticus, qui habitabat sub ponte canaliculi. »Habesne syngraphum? Cedo syngraphum!« At miles stagneus tacitus sclopetum etiam firmius retinuit. Naviculâ vehi perrexit ratto sequente. Phu, quam foedê ista bestia dentes restrinxit, quam stridulê ramentis ligni stramentoque acclamavit: »Sistite illum! Sistite illum! Qui syngraphum non ostendit, non solvit vectigal viale!«

At fluctus aquae etiam etiamque exauctus est! Miles autem stagneus iam conspexit diem lucidum, sed audivit etiam tantum fremitum, ut fortis quoque vir terreretur! Ibi, ubi finis erat pontis, aqua e canaliculo deruebatur in magnum canalem. Istud autem misero militi stagneo haud minus periculosum fuit quam nobis!




At nunc îdem canali propinquior iam fuit, quam ut sisteret. Itaque navicula transvecta est cataractam et miles stagneus pede constitit quam firmissimê. Studuit enim impedire, ne quis postea vituperaturus esset quod ipse umquam aliquantulum tremuisset. Navicula ter aut quater circumversa usque ad marginem aquâ completa erat, ut miles stagneus aquis submergeretur usque ad collum. Deinde navicula altius aliusque submergebatur, charta magis magisque dissolvebatur. Nunc aqua provoluta est super caput militis, qui cogitavit de parvâ ballatrice nitidâ, quam numquam esset revisurus.

Nunc charta divisa est, ut miles stagneus eiceretur, sed statim degluttitus est a pisce magno. – O eidem quantae infuerunt tenebrae, etiam peiores quam sub ponte canaliculi, et angustiae horribiles! At miles stagneus manens constantissimus rigidus iacuit cum sclopeto, quod bracchio supposuerat.



Piscis autem conversus se movebat terribiliter. Tandem autem quies facta est, at subito corpus piscinum fulgure est percussum. Lumen visum est perquam clarum et aliquis vocavit: »En aspiciate militem stagneum!« Piscis enim erat captus, in mercatu a coquâ emptus, magno cultro dissectus. Nunc haec mulier duobus digitis militem e ventre piscis exemptum in conclave medianum tulit, ut omnes viderent virum mirum.

O quam mirae res fiunt in mundo! – Miles enim stagneus iterum in eodem conclavi fuit, in quo prius fuerat. Vidit nunc eosdem parvulos, eadem crepundia, necnon magnificentum illud castellum, cui infuit parva illa ballatrix nitida. Quae adhuc stabat uno tantum pede et alterum tenebat altissimê sublatum. Babae quam constantem esse illam! Hac re militis stagnei animus tam vehementer commotus est, ut paene effunderet lacrimas stagneas, sed hoc non fecit, quia non decuit.



Tum unus e puerulis militem sumpsit et sine morâ iniecit fornaci, quamvis nullam prorsus causam haberet. Verisimile fuit huic rei se immiscuisse cobalum illum pyxidi insidentem.

Miles stagneus nunc constitit totus illuminatus et sensit fervorem maximê horribilem. At utrum hic fervor exortus esset igne vero an amore quem sensit erga ballatricem, hoc miles nescivit. Illam aspexit et parva ballatrix aspexit eum. Nunc miles sensit necessarium esse, ut ipse liquefieret, sed adhuc constans fuit sclopetum tenens bracchio suppositum.

Tum ianuâ apertâ ballatrix vento est correpta. Quae volavit cum nymphae levitate mediam in fornacem ad militem stagneum, deinde flammis flagrantibus est absumpta. Nunc miles stagneus totus liquefactus est. Postridie mâne cum famula cinerem e fornace eximeret, invênit eum in formam parvi cordis stagnei redactum; ballatricis autem nulla pars relicta erat nisi stella adusta, et ea fuit colore nigerrimo.



**»Da Pigen Dagen efter tog Asken ud, fandt hun ham som et lille Tinhjerte; af Danserinden derimod var der kun Pailletten, og den var brændt kulsort.«  
HANS CHRISTIAN ANDERSEN**





**IOHANNIS CHRISTIANI**

**ANDERSEN**

**(1805-1875)**

**DANI NARRATORIS INGENIOSI**

**FABELLAM QUAE INSCRIBITUR**

***De stagneo milite constantissimo***

***(danicê: Den standhaftige tinsoldat,***

***theodiscê: Der standhafte Zinnsoldat)***

**E THEODISCO**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**

## De puellulâ ramentis sulphuratis instructâ



Gelu erat horribile. Nix cadebat, iam ingruerant tenebrae vespertinae. Vesper autem fuit anni ultimus, vesper Silvestri. Isto in frigore istisque in tenebris per viam ibat puellula misera capite intecto, nudis pedibus. Eadem quidem domo profecta gesserat calceos domesticos, sed iidem parum profuerant! Nam fuerant calcei domestici nimis magni. Qui tanti fuerant, ut prius gererentur a puellulae matre. Illos calceos domesticos puellula amiserat, cum duobus curribus rapidissimê praetervehentibus trans viam properaret. Unus calceus domesticus non iam potuit inveniri, alterum correptum puer quidam apoculavit pollicitus se, si quando liberi sibi fuissent, calceum adhibiturum esse loco cunarum.

Nunc puellula ibat nudis pediculis nitidis, qui frigore erant perquam rubri atque lividi. Eadem nonnulla gerebat ramenta sulphurata encombomati imposita, et integrum fascem talium ramentorum manu tenebat. Per totum diem nemo aliquid a puellâ emerat, nemoque ei stipem dederat. Itaque misera

parvula fame et gelu affecta perrexit fessum corpus suum trahere perquam timida atque meticulosa. Plumae nivales incidebant in longos capillos puellae flavos, qui cervici adhaerebant pulchrê cincinnati.



Ex omnibus fenestris radiabat splendor luminum lucidus et super omnes vias diffundebatur nidor assi anserini delicatissimi. Scilicet vesperum esse Sancti Silvestri! Sensûs omnes puellae huius rei consciae completi sunt.

In angulo duabus domibus interposito puellula nate incoxavit. Pediculos quamvis sibi subtraxisset, etiam vehementius frigebat. Tamen puella non ausa est domum ire, quia nulla adhuc ramenta flammifera vendiderat neque ullum nummulum acceperat. Si domum iisset, certê a patre plâgas accepisset, necnon domi quoque frigora erant. Domus enim paterna nihil erat nisi casula, per cuius rimas ventus flabat gelidissimus, quamquam earum maiores stramento pannisque erant obturatae.

Ah quam iucundum esse flagrans ramentum sulphuratum! Utinam liceret sibi audere ramentum aliquod e scatulâ eximere, parieti atterere necnon digitos eodem calefacere! Tandem puella aliquod ramentum extraxit. Et subito, st! – stridulo sono edito ramentum est inflammatum. Ramentum sulphuratum coruscans edidit calidam flammam lucidam, tamquam parvum lumen. At idem lumen fuit mirum. Puellula sibi visa est sedere ante magnam fornacem ferream. En ignem flagrare tam bellulê

tamque iucundê calefacere! Parvula pedes iam extendit, ut eos quoque calefaceret, sed tum flamma est extincta. Fornax autem evanuit et puella manu nihil tenuit nisi nigrum ramentum sulphuratum exustum.

Novum ramentum est attritum. Quod ardebat et lucebat, et subito murus, cui nitor incidebat, tam pellucidus fuit quam subtilis pannus sericeus. Tum parvula inspexit in ipsum conclave, ubi mensa obtecta erat panno mensali candidissimo et catinis patinisque porcellaneis subtilissimis. Patinae mediae infuit anser assatus prunis mâlisque completus delicatissimus. At etiam magnificentius fuit, quod anser e patinâ esiluit et fuscinulâ cultroque dorso impactis per pavementum gradiebatur ad miseram puellam. At deinde ramentum sulphuratum est extinctum, et puella nihil vidit nisi crassum murum frigidum.

Nunc puella novum ramentum accendit. Tum parvula sedit sub arbore nataliciâ magnificentissimâ. Quae fuit etiam maior atque etiam uberius exornata quam illa, quam Vespere Sancto per ianuam vitream viderat apud mercatorem divitem. Milia candelarum ardebant in ramis viridibus, et globuli fulgentissimi coruscabant. Parvula ambas manûs sursum erexit ad candelas globulosque, sed tum extinctum est ramentum sulphuratum. Multae autem candelae illae ascendebant altius altiusque, et nunc demum puella vidit eas esse stellas lucidas. Quarum una decidens longam virgam igneam traxit per caelum.

Parvula submissê dixit: »Nunc aliquis moritur«, nam avia vetusta, quae sôla affabilem se praestiterat erga puellam, dixerat: »Si stella cadit, anima ascendit ad Deum!«

Denuo puella muro attrivit ramentum sulphuratum, ut eodem quoque circumcirca lumen emitteretur. Hôc in splendore subito apparuit avia illa vetusta dilucidê illuminata vultu miti clementique puellulae arridens.

Tum parvula: »Heus avia« inquit, »rogo te, ut me abducas tecum! Scio te evasuram esse, ubi primum extinctum erit

ramentum sulphuratum. Ita evades ut calida fornax fictilis, ut assum anserinum delicatissimum, ut magna illa arbor natalicia coruscans!«

Celeriter puella attrivit reliqua ramenta sulphurata, quae restiterant in parvâ scatulâ, nam voluit retinere aviam. Ramentis autem sulphuratis tantus splendor est diffusus, ut lux fieret lucidior lumine diurno. Avia autem tam pulchra, tam magna antea numquam fuerat. Quae puellulam bracchio imposuit, et ambae sursum sublatae volitabant laetissimê fulgentes. Puella nunc liberata erat a gelu et fame et timore; nam fuit apud Deum.



Mâne frigido in angulo ad domum sedebat puellula genis rubris, ore subridente. Quae erat mortua ultimo die anni frigore confecta. Anni ineuntis dies illuxit parvum corpus mortuum, quod considebat manu tenens scatulam ramentorum sulphuratorum, quae exusta erant ferê omnia. Homines dixerunt »Illa voluit se calefacere«. Nemo scivit, quantum pulchri illa vidisset et quanto splendore circumdata unâ cum aviâ vetulâ novum annum esset ingressa!

**»Hun har villet varme sig! sagde man; ingen vidste, hvad smukt hun havde set, i hvilken glans hun med gamle mormor var gået ind til nytårs glæde!« \* \* \* \* Hans Christian ANDERSEN (1848)**



**IOHANNIS CHRISTIANI**

**ANDERSEN**

**(1805-1875)**

**DANI NARRATORIS INGENIOSI**

**FABELLAM QUAE INSCRIBITUR**

***De puellula ramentis sulphuratis instructa***

***(danicê: Den lille pige med svovlstikkerne (a.1848),***

***theodiscê: Das kleine Mädchen mit den Schwefelhölzern)***

**E THEODISCO**

**IN LATINUM CONVERTIT**

**LEO LATINUS**





<https://www.sat1.de/ratgeber/silvester/silvester-essen/silvesterkarpfen-tradition-und-rezept-ideen>

## **PRAECEPTA COQUENDI: CYPRINUS SILVESTRIANUS**



### **Cyprinus silvestrianus: varii mores eundem coquendi traditi**

Vespere Sancti Silvestri de nullâ re magis agitur quam de fortunâ divinandâ et quam optimâ efficiendâ – idque fit modis agendi maximê variis: plumbo liquefaciendo, decoramentis mensae fortunantibus, osculo silvestriano dando, etc. etc. Eâdem de causâ anno vertente cyprinus silvestrianus tam gratus est: Nam sunt, qui quadam sapientiâ populari inducti credant, si quis anno ineunte marsuppio imposuisset squamam cyprini, eum anno novo pecuniâ esse abundaturum. Licet sint alii qui hanc rem reprobent superstitiosam, quisnam vult periculum subire, ne proximo anno redigatur ad summam paupertatem? (*Ceterum cum non pauci sint, qui credant Gretulam illam prophetissam climaticam e Suetiâ oriundam posse videre carboneum dioxydatum, quidni credamus nos squamâ cyprini factum iri divites? Adnotatiuncula interpretis.*)

Cyprinum utrum volumus caeruleum facere an furnatum? Haec est quaestio una ex gravissimis, quae spectant ad cyprinum parandum. Haec autem quaestio diiudicatur et gustu et superstitione. Nam cyprinus si caeruleus fit, non desquamatur. Color autem caeruleus cyprini aquâ cocti efficitur muco, quo squamae sunt obtectae.

### **Cyprinus silvestrianus caeruleus: praeceptum coquendi more traditum**

Tunc putas novum annum tibi sic quoque fore fortunatum? Ergo cyprinum facito caeruleum squamis relictis. Ut cyprinum praepares hōc modo, egebis iis rebus, quae sequuntur:

- 1 cyprinus
- 250 mililitrae aceti
- sal et piper

Primo piscem lavato, deinde partes interiores sale et pipere condito; deinde pocillum ventri cyprini ita imposito, ut piscis rectus stet in pinguicipulo<sup>1</sup> supposito. Nunc acetum coquito, dum ebulliat, cyprino superfundito, usque dum is ducat colorem caeruleum. Deinde addito litram aquae ferventissimae. Tum foco imposito et per 40 vel 50 minutas temperaturâ 150 graduum Celsianorum calefacito. Ad cyprinum mirabiliter quadrant poma terrestria petroselino condita et embamma armoraciae cramosum<sup>2</sup> necnon acetaria lactucae crepaci<sup>3</sup>.



Cyprinus silvestrianus eo, quod coquitur in aquâ cum aceto atque sale commixtâ, colorem ducit caeruleum. Itaque cyprinus hōc modo paratus nomine huius coloris haud iniustê appellatur.

<sup>1</sup> \*pinguicipulum, -ī n. orig. Fettpfanne – angl. dripping pan – fr. bac ramasse-jus – hisp. grasera – ital. leccarda

<sup>2</sup> \*crāmōsus, -a, -um orig. cremig – angl. creamy – fr. crémeux (-euse) – hisp. cremoso – ital. cremoso

<sup>3</sup> crepāx, -ācis orig. knackig – angl. crisp, crunchy – fr. croquant(e) – hisp. crujiente – ital. croccante

## Ecce piscis fortunans: praeceptum cyprini furno coquendi



Sunt, quibus cyprinus furnatus<sup>1</sup> (sine aquâ in furno coctus) melius sapiat quam cum aquâ coctus. Si quis hoc cupit, piscem oblinat medullâ lycopersicinâ.



Num tibi displicet aliquantulum superstitionis? Si ita, furnes cyprinum pro eo, ut coquas aquâ. Ergo piscem emitto, exenterato, desquamato, panno tersorio siccato; deinde, nisi integrum vis furnare, in frustula dissecato. Tum cyprinum salito, ad libitum fungis assatis impleto, filo colligato. Si piscem antequam furno impones dissecas, eundm abundanter oblinito medullâ lycopersicinâ. Denique cyprinum pinguicipulo impositum oleo instillato et temperaturâ 200 graduum

<sup>1</sup> furnātus, -a, -um quod ducitur a furno, invenitur apud Pelagonium (veterin.2 = 29). Ausim adhibere formam infinitivi, quae est \*furnāre, -ō, -āvī, -ātum (theod. backen).



Celsianorum per 40 ferê minutas furnato. Nunc confitere: Uter cyprinus melius tibi sapit: caeruleus an furnatus?



**CYPRINI SILVESTRI BEROLINENSES.** A.1874 PINXIT WILHELM GEISSLER

### **Cyprinus more Polonico paratus**

*Praeceptum coquendi silvestrianum Berolinense.*

**additamenta:**

- 2 chiliogramma cyprini
- holera iurulenta<sup>1</sup>
- 1 folium lauri
- 2 caryophylla
- 2 grana condimenti
- 2 orbiculi citri
- 1 cepa
- 1 ¼ litra aquae

---

<sup>1</sup> holera iurulenta orig. Suppengemüse.


**additamenta, quibus paratur embamma:**

- 30 gramma butyri
- 40 gramma farinae
- 1 lagoena cervesiae fuscae et vini rubri
- 40 g. piscarii libi piperati<sup>1</sup>,
- sucus unius citri

sal saccharumve addantur ad libitum

Cyprinum desquamatum exenterato, in portiones dissecato, leviter salito. Deinde holera iurulenta minutim concisa cum condimentis, orbiculis citri, cepâ coquito, usquedum aqua ebulliat, cyprinum addito, lentê percoquito.

Embamma Polonicum parato e butyro liquefacto, cui immixta est farina, et infusum est ius piscinum cribro perfusum. Addito cervesiam fuscam, vinum rubrum, piscarium libum piperatum necnon temperato suco citrino, saccharo, sale. Denique cyprinum embammati impositum cum pomis terrestribus apponito. Bene sapiat tibi!

**PRAECEPTA CYPRINI COQUENDI****IN LATINUM CONVERTIT****LEO LATINUS**


---

<sup>1</sup> piscarium libum piperatum orig. Fischpfefferkuchen-

# **SQUAMAE CYPRINI**

**UTINAM FORTUNENT ANNUM MMXX !**



**ECCE SQUAMAE CYPRINI.  
QUAE BONAE FELICES FAUSTAEQUE SINT.**



**HAE SQUAMAE SALUTARES  
UTINAM NOBIS FORTUNENT ANNUM MMXX !**





**Cara Lectrix, care Lector,  
in ANNUM MMXX ineuntem**



**optima quaeque Tibi exopto !  
DIE LUNAE, 30. M. DEC. A.MMIXX**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEPTIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



»Hun har villet varme sig! sagde man; ingen vidste, hvad smukt hun havde set, i hvilken glans hun med gamle mormor var gået ind til nytårs glæde!«      Hans Christian ANDERSEN (1848)

i.e. Latinê: *Homines dixerunt »Illa voluit se calefacere«. Nemo scivit, quantum pulchri illa vidisset et quanto splendore circumdata unâ cum aviâ vetulâ novum annum esset ingressa!*

**Die Sancti Silvestri, 31. m.Dec. a.2019**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

